

22
1784, 1
17
**DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
HEREDITATIS ADITIONE
CONDITIONATA**

229
QVAM
ANNVENTE
ACADEMIAE PATRIAEE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS

D. SEPTEMBR. A. R. S. CIOCCCLXXXIV.
P VBLICO ERVDITORVM EXAMINI
MODESTE SVBIECTVRVS EST

GEORGIVS GVILIELMV^S LVDOVICVS
BECHTOLD

G I S S A E
apud IOH. IACOB. BRAVN, Acad. Typogr.



HERBIDATIS ADICTIONE
CONSIDERATIONE

ALLEGORICO

SCHEMATE

THEATRICO

SCHOLASTICO

PHYSICO

SERENISSIMO CELSISSIMO QVE
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
LVDOVICO VIII.

HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTI PRINCIPI
HERSFELDIAE COMITI IN CATTIMELIBOCO DECIA
ZIEGENHAYNA NIDDA HANOVIA SCHAVMBVRGO
YSENBVRG ET BVDINGA RELIQA AVGVSTISSI
MAE RVSSIARVM IMPERATRICIS GENERALI
CAMPI MARESCHALLO CAESAREI RVSSICI S.
ANDREAE ET REGII BORVSSICI AQVILAE
NIGRAE ORDINIS EQVITI

P A T R I A E P A T R I
I N D V L G E N T I S S I M O
MVSARVM STATORI ET AMPLIFICATORI
MVNIFICENTISSIMO

CIVIS NOMEN
SVMMIS PER SCIENTIARVM QVOQVE SACRARIA
LAVDIBVS CELEBRATVM SERA POSTERITAS
VENERABUNDA INTVEBITVR DEMIRABITVR

PRINCIPI AC DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO

HOC
QVIDQVID EST OPELLAE ACADEMICAЕ
ANIMO DEVOTISSIMO
INCITATISSIMOSQUE AETERNAE PIETATIS
CVLTVS OBSEQVII AFFECTVS
SENTIENTE
O. D. C.
OMNEM SIMVL FELICITATEM
TANTO PRINCIPI
PAREM EAMQVE PERENNEM
ET AD LONGISSIMOS SORTIS HVMANAЕ TERMINOS
PROROGATAM
VOTIS ARDENTISSIMIS

PRECATUS

O GEORGIVS GVLIELMVS LUDOVICVS
BECHTOLD.



DISSESSATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
HEREDITATIS ADITIONE
CONDITIONATA.


§. I.

RATIO INSTITVTI REDDITVR.

Quae circa hereditatis aditionem in genere habentur iuris dispositiones, non solum, quotquot in titulum D. de adquir. vel omitt. hered. commentati sunt, suis in meletematis, verum etiam plures alii peculiaribus exponere studuerunt dissertationibus; quos inter vel solum DAN. TERSZTYENSKY (a) & IOH. CASP. GOETHE (b) hoc loco nominasse sufficiat. Quae autem circa hereditatis

A 3

adi-



ditionem nominatim *conditionatam* moueri possunt
quaestiones, eas ego quidem nusquam adeo pense &
enucleate explicatas inuenire adhuc potui, vt, quod
plenus, forte quoque melius dici possit, reliquum
factum prorsus nihil fuerit.

Cum igitur specimen quoddam inaugurale a me
exspectetur, hoc potissimum iuris argumentum ante
alia dignum visum fuit, cuius studiose retractatio-
ne, quid ferre valeant humeri, quidue recusent, ex-
perirer. Faxit supremus ille rerum humanarum ar-
biter D. O. M., vt, quidquid operae hoc in negotio,
pro ingenii, quod exiguum esse sentio, modulo, pos-
turus sum, in supremi nominis ipsius gloriam, neque
contemnendum veritatis ornamentum cedat.

(a) in specim. Iur. germ. de aditione hereditatis Francof. &
Lipf. 1759.

(b) in Diff. quae inscripta est: Electa de aditione hereditatis
ex Iur. Roman. & patrio. Giss. 1738.

§. II.

HEREDITAS DEFINITVR.

Antequam vero in ipsam, quam mihi tractandam
proposui, sermonis materiem ingrediar, pauca quae-
dam de hereditate huiusque *aditione in genere* praefab-
ri consentaneum erit. Duplex vocabuli *hereditas* in
iure potest esse significatus, *subiectius* nempe ac *obie-
ctius*. *Hereditas obiectiva*, vt vocant, accepta ius fo-
nat



nat hereditarium, s. ius succedendi in vniuersum patrimonium a defuncto relictum, omniaque huins iura & obligationes haud personalissimas (a). Qua potestate vocabulum usurpari, si *hereditas* inter species *iuris in re* referatur, non est, quod expresse moneam. Differt ab hac hereditate *hereditas obiective* spe-
cata, quae ipsas res signat hereditarias s. vniuersum defuncti patrimonium, quem significatum & hoc loco adhibemus. Constituit interim hereditas hoc nomine vnam e duabus illis, quas in iure nostro habemus, *iuris vniuersitatibus*, quae scilicet a legibus eum prae-
cipue in effectum pro eiusmodi vniuerso sunt habi-
tae, cui principium accommodari debeat: *res succedit in locum pretii, & pretium in locum rei.* His oppo-
nuntur *vniuerstates facti s. hominis*, in quibus dicta
principii accommodatio locum obtinere nequit. Ta-
les sunt e. gr. grex, bibliotheca, taberna cet. Heredi-
tas tamquam *vniuersitas iuris* comprehendit tam res corporales, quam incorporales; ergo & iura & obliga-
tiones. Potest igitur hereditas cogitari, quae absque *vlo corpore* est, qualis foret, si defunctus praeter iu-
ra ipsi competentia nihil reliquisset (b). Quid? quod
mente quoque concipi poterit hereditas, quae absque *illis bonis* sit. Atque hoc quidem non eo solum,
qui saepius contingere solet, in casu, vbi defuncti
acs alienum facultates eiusdem excedit, sed genera-
tim quoque, si defunctus neque aes alienum, neque
ylla alia bona reliquit. Habet enim, vt cum Inter-

pre-



pretibus loquar; hereditas iuris intellectum per se, & sufficit, quod is, qui nulla bona reliquit, bona nihilominus habere potentialiter possit. Potest quoque per varios casus, variaque rerum discrimina evenire, ut eiusmodi homini, dum iam animam agit, ignorantia bona acquirantur, quae tum ad eum peruentura sunt, qui defuncti sese heredem declaravit (c).

(a) L. 62, de R. iur. L. 37. de A. v. O. H.


(b) L. 50. pr. de Hered. petit.

(c) cf. ANTON. FABRI rationalia in Pand. ad L. 50. modo allegat.

§. III.

HEREDITATIS ADITIO QVID?

Hereditas obiective sumta ab eo statim momento heredi *delata* censetur, quo ius hereditarium s. ius succedendi ipsi competere incepit. Verum enim vero hoc eum nondum habere potest effectum, ut hereditas statim ad eundem tamquam propria pertineat. Quod enim ut efficiatur, peculiari opus est *acquisitio*ne, quae vero vel *ipso iure* vel mediante *aditione fieri* potest. *Ipsa iure* hereditas acquiritur *suis heredibus* i. e. heredibus, qui in patria morientis potestate existunt, proximumque in eadem stirpe, tempore defatae hereditatis, gradum obtinent, aut saltim obtinuerint, si eo tempore nati fuissent (a). *Suis ergo heredibus* hereditas uno eodemque actu *desertur* & *acquiritur*, eo effectu, ut eandem denuo ad heredes suos



suos statim transmittant. Longe aliter autem sese res habet in *extraneis* i. e. *non suis*, quippe qui hereditatem ipsis *delatam* peculiaris *aditionis* ope demum acquirunt. Ceterum, quid sit *hereditatis aditio*, distincte expositurum obseruare oportet, duplicum huius vocabuli esse vim atque potestatem; latiorem vnam, alteram strictiorem. In significatu *generaliori*, quem & hic usurpamus, eius, cui hereditas *delata* est, actionem signat, qua sese hancce hereditatem in suos convertere vsus velle declarat. In *strictiori* autem significatu de *extraneis* tantum usurpatur heredibus (b). Referebatur quoque hereditatis aditio olim ad actus *legitimos* (c) quod tamen, sublati in L. 17. C. de iur. deliber. antiquis *cretionis* sollemnibus, hodie prorsus cessat, nec vrgeri amplius potest.

(a) ita *suorum* heredum cum VENNIO format definitionem *Vic Magnif. Et Peril. D. IOH. CHRISTOPH. KOCH Praeceptor meus omni pietatis & obseruantiae cultu ad cineres vsque colendus, in egregio tract. de success. ab intestato §. I. Schol. I.*

(b) VOETIUS ad tit. D. de A. v. O. H. pag. 362.

(c) L. 77. de R. iur.


SCHOL. Hereditatis aditio quia olim, vt modo obseruauimus, inter actus referebatur legitimos, in *propria*, vt loquuntur ICti, semper fieri debebat persona, nec procurator admittebatur L. 123. de R. iur. Cum vero apud nos actus legitimi omni, quem olim habuere, vnu, & effectu destituantur: quæstionem mouere iuvat, an non hodie pro-



curator ad hereditatis aditionem admitti possit? Varie hac de re sentiunt ICti, quorum alii quaestionem generaliter adfirmandam esse censem, alii eandem generaliter negant. Inter affirmantes praeципue eminent D CONR. FRIDER. REINHARD (s. respondens FRIDER. AVG. REICHIELM) qui peculiarem *de aditione hereditatis per alium* scriptis dissertationem, quae Halae 1720. prodidit. Hic quidem antiquioribus in temporibus hereditatem per procuratorem adiri non potuisse, lubens concedit. Cum autem in L. 17. C. de iur. deliber. omnis sublata sit *cretionum* follemnitas, eo ipso omnes quoque antiquiores leges & constitutiones abrogatas esse, censem, quae ad rationem antiquorum illorum folleminum locum habuissent. Ex quo porro cogit, quod ea quoque nostris temporibus cessare debeat prohibiti, quae olim obliterit, quo minus aliquis in adeunda hereditate procuratoris vi opera posset. Eadem sententiam tueret GOETHE in diff. cit. pag. 29. vt & HELLEFELD in iurisprud. forens. secund. ord. Pand. §. 1491. aliquie. In negatiuam contra ea sententiam distredit BRVNNEMANVS in Comment. ad L. 90. D. de A. v. O. H., qui hereditatem ideo per procuratorem adiri posse negat, quia heres, quando aditionem mandauerit, ea ipso hereditatem adiisse videatur; ideoque noua aditione opus non sit. Quae sententia quoque in HEINECCII Elem. iur. ciu. ex edit. PERILL. HOEFFNERI §. 573. sine vlla adiunctione comprobatur.

Quodsi, quid mihi hac de quaestione videatur, ingenue profiteri fas est: in eadem decidenda media incedere via tutissimum esse, mihi facile persuaderim. Quam obcausam sequentes a se inuicem distinguo casus.


1) si quis procuratorem habet generalem, sive is ad omnium



omnium in genere bonorum administrationem, sive nominatim ad adeundas hereditates mandanti deferendas omnes constitutus sit: tum eiusmodi procurator hereditatem mandanti suo delatam adire non poterit. Est enim hereditatis aditio actus peculiare continens praeciducium, ideoque speciale desiderat mandatum L. 25. §. 5. de A. v. O. H.

2) Fac autem aliquem procuratori suo *specialiter* id que *pure* ac *simpliciter*, vt hereditatem adeat, mandasse, tunc omnino ad id, vt hereditas adeatur, superuacuum mihi hocce mandatum videtur. Hereditatis enim aditio cum sola voluntatis declaratione perficiatur: is qui *pure* & *simpliciter* mandauit, vt alter hereditatem ipsius nomine adeat, eo ipso declaravit, quod hereditatem sibi delatam in suos convertere usus velit, ideoque eandem iam quare adiuit (vid. §.). Quamobrem procurator eos, quorum interest, vel iudicem quoque de facta aditione certiores quidem reddere, hereditatem autem non de novo adire potest; hereditate enim semel adita noua opus non est aditione, sed statim a priori omnes sese exferunt aditionis effectus. Ponas autem

3) delatam alicui esse hereditatem, quae in remotis sit regionibus, aut de qua adhuc dubitetur, utrum adire illam, an repudiare consultius sit; & tum quandam procuratori mandare, vt in locum hereditatis sitae sese conferat, vires eiusdem accurate exploret, &, si inuenierit, quod aliquod exinde exspectari lucrum possit, mandantis nomine adeat: tunc tale mandatum ad adeundam hereditatem omnino valebit, & mandans eandem non ante acquiret, quam procurator eam ipsius nomine adiuerit. Hoc ergo in casu hereditatem per procuratorem adiri posse omnino mihi videtur. Ceterum hanc rem solide expli-



cat AVERANIUS in interpretat. iuris Lib. I. Cap. XII.
num. 58. seqq.

§. IV.

DVAE CIRCA HEREDITATIS ADITIONEM CONDITIONATAM MOVEN-
TVR QVAESTIONES.

Pure hereditatem adiri posse extra omnem pos-
tum est dubitationis aleam. Vtrum autem *conditiona-*
ta in iure tolerari queat hereditatis aditio, de eo
inter Doctores haud conuenit, neque conuenire faci-
le poterit, quamdiu, quae in quaestione hacce am-
phibolia latet, non sollicite tollatur. Est autem, quae
circa hereditatis aditionem *conditionatam* mouetur,
quaestio in duas quaestiones separatas resolubilis, qua-
rum vna non commisceri cum altera debet. Sensus
scilicet quaestionis

1) is esse potest: vtrum hereditas, quae sub condi-
tione mihi delata est, pendente hac conditione
adiri possit, an vero conditionis exspectari euen-
tus debeat? Deinde


2) an is, qui hereditatem sibi delatam adire cupit,
huicce aditioni suae conditionem adiicere possit?
v. c. si hereditas lucrosa sit.

De qualibet harum quaestionum separatim sumus ex-
posituri.

§. V.

IN PRIORI QVAESTIONE VARI A SE INVICEM SVNT DISTIN-
GVENDI CASVS.

Ad priorem quaestione quod attinet, *vtrum*
nempe



nempe is, cui hereditas sub conditione delata est, even-
tum conditionis necessario expectare debeat, an vero he-
reditatem pendente conditione quoque adire possit? de iu-
re ciuili quidem conditio nondum existens regulari-
ter nihil ponit in esse. Quando igitur heres sub con-
ditione fuerit institutus; institutio haecce a conditionis
eventu pendebit, quem ut heres ante expectet,
omnino necessarium est. Verum enim vero post in-
troductionam a Praetore Bonorum Possessionem secundum
tabulas tantum abest, ut res etiam nunc adeo breuiter
expediri possit, ut potius varii circa eandem a se in-
uiicem discernendi sint casus, quorum pro ratione di-
uersa, diuersa iuris agnoscenda est dispositio. Cui
rei debitam ut fidem faciam, tantumque, quantum
necessere est, lucis adfundam, non inutile fore reor,
si omnes, quotquot hic obui sunt casus, sequenti
schemate conspiciendos exhibuero, simulque ordinem
indicauro, quem in dilucidanda quaestione proposi-
ta sum fecuturus.

Conditio (a), sub qua quis heres est institutus,

v. est casualis aut mixta

v. potestatua

Casus primus, de quo in §. VI.

v. affirmativa v. negativa

v. statim impleri potest v. non

Casus secundus, de quo
in §. VII.

Casus ter-
tius, de quo
in §. VIII.

Casus quartus, de
quo in §. IX.
exponemus.

B 3

(a) de



(a) de conditione *utile* hic sermonem esse, non est, quod seorsum moneam, cum in iis, quae pro non adiectis habentur, conditionibus B. P. s. t. non opus sit.


§. VI.

CASVS PRIMVS PROPOSITVR.

Primus ergo, vt, quem nobis praescripsimus, ordinem seruemos, casus is erit: si heres quidam sub conditione *casuali* v. c. si *Lucius consul eligetur*, aut mixta (a) v. c. si *Lucio consule Romam iueris*, erit institutus. Ponamus igitur eiusmodi conditionem adiectam pendere: tum heres institutus secundum ius *civile* hereditatem nullo modo adire poterit, sed, quia omnia a conditionis adiectae existentia, vel non existentia pendent, necessario tamdiu exspectare debebit, dum alterutrum contingat. Neque fine suo potiri heres poterit, si forte ad praestandam cautionem, de hereditate, conditione deficiente restituenda, fese obtulerit. Duram sane iuris ciuilis sanctionem! Hac enim quam facile euenire potuit, heredes vt instituti hereditatis beneficio per longissimum temporis tractum carere cogerentur. At *Praetor* duram legis qualitatem, satisque molestos, quos habebat, effectus probe intelligens humanitatis esse ratus est, vt hoc quoque nomine ius ciuale corrigeretur, saltim mitigaretur. Concessit propterea heredibus, sub conditione, *casuali* quoque, institutis, vt pendente condicione B. P. s. t. peterent (b) atque hac via ad ipsam actu hereditatis possessionem peruenirent. Interim sa-

tis

tis recte & iuste simul lege prospectum fuit, vt, qui
 B. P. s. t. obtinuissent, iis, ad quos deficiente condi-
 tione hereditas sit peruentura, v. c. substitutis, aut
 heredibus ab intestato, per pignora vel fideiussores
 idoneos, se hereditatem, deficiente conditione, ipsis
 restituere paratos esse, cauere debuerint (c). Conces-
 sa hoc modo B. P. s. t., rei totius cardo in eo verti-
 tur, utrum conditio adiecta existat, an vero deficiat?
 si existit; heres omni iure consequitur hereditatem,
 cautioque ab ipso praefita exspirat. Deficiente vero
 conditione adiecta totam, quam eventualiter, vt lo-
 qui solemus, tantum acceperat, hereditatem cum o-
 mni causa restituere obligatur, & quidem ~~regisatur~~
 pro diuersitate vel substituto, vel heredibus ab inte-
 stato aliusue. Duo interim sunt casus, in quibus a
 regula hacce, ceteroquin vniuersali, in casu deficien-
 tis conditionis discedi solet. Nempe si is, qui B. P.
 s. t. pendente conditione petuit, talis est, qui, si
 praeteritus esset, contra tabulas petere potuisset Bon.
 Possess., v. c. filius emancipatus, aut si idem ille in
 ea ad testatorem est ratione, vt absente quoque te-
 stamento B. P. ab intestato obtinuisse: tum siue hoc
 siue illud sese obtulerit, deficiente conditione, intuitu
 cuius B. P. s. t. est petita, obvio eiusmodi heredi-
 tantum abest, vt hereditatis possessio eripiatur, vt
 ipsi potius loco B. P. s. t. ea detur Bonor. Poss., quae
 contra tabulas vocatur (d). Nomen igitur tantum-
 modo mutatur; res ipsa manet. Ceterum, quae de
 ca-



casuali conditione hactenus expromsimus, ea omnia
tum quoque citra errorem accommodari poterunt,
quando quis sub conditione, in tertii cuiusdam po-
testatem relata, heres fuerit institutus v. c. *Caium he-*
redem nomino, si Titius ipsum adoptauerit. *Potestatiua*
quidem vocari interdum solet eiusmodi conditio. Ve-
rum denominatio haec, non, nisi admodum impropria,
est. Quodsi dicere volueris, quod res est, talis con-
ditio intuitu *Caii reuera casualis* erit. *Quamobrem*
hic ea pendente citra ullum dubium ad B. P. f. t.
admitti debet.

(a) *mixtam* conditionem *casuali* statim adiunximus, quia, qua-
tenus *casualis* est, iisdem, quibus haec, principiis regitur.
Ceterum in utraque conditione prorsus perinde erit, *vtrum*
negatiua sit conditio, an *affirmatiua*. Quod aliter fese
habebit, vbi de conditione *potestatiua* nobis sermo erit.

(b) L. 2. §. 1. L. 5. pr. L. 6. D. de B. P. f. t. Nec obstat,
vt forte videri quibusdam posset, §. 6. modo allegatae
L. 2. quae sequentem in modum disponit: *Si quis ita*
instituerit heredes, uter ex fratribus meis Sciam uxorem
duxerit, ex dodrante mihi heres esto: uter non duxerit, ex
quadrante heres esto: si quidem mortua fuerit Seia, aequas
partes habituros heredes constat, quod si ab altero uxori
duxerit, dodrantem, et quadrantem eis competere:
bonorum autem possessionem, antequam existat conditio, neutrum
petero. Recte quidem his, antequam conditio existat, B.
P. f. t. denegatur; incertum enim est, quantum quiske
accipere possit, quippe quod per conditionis existentiam
deum certum fieri debet. Quomodo ergo B. P. diuiden-
da foret, si cuiilibet ratae sua possessionem adsignare an-
te



te voluerit iudex, quam ipse eandem determinare rite va-
leret?

(c) L. 12. D. qui satisdare cog.

(d) L. 2. §. 1. L. 5. pr. D. de B. P. f. t. L. 3. §. 13. de B.
P. c. t.

§. VII.

CASVS SECUNDVS.

Si porro quis sub conditione *potesstativa affirma-
tiva*, & quidem tali institutus fuerit, *quae statim im-
pleri possit* e.gr. *Titius mihi heres esto, si filiam meam
natu maximam, viroque maturam in matrimonium du-
xerit*; tunc conditionem statim implere debebit, ne-
que antea hereditatem vlo modo adire poterit. Iure
enim *civili* heres, antequam conditionem, sub qua est
institutus, impleuerit, ad hereditatem non admittitur.
Neque *Praetor* ipsi ea ratione, cuius in §. anteced.
mentionem iniecumus, succurrit; cum ridicu-
lum foret praestita cautione ad B. P. f. t. talem ad-
mittere heredem, a quo vnice pendeat, vtrum con-
ditionem statim implere, siveque pleno iure heredita-
tem ipsi relictam acquirere velit, an non. Ponamus
autem heredem ad implendam sece offerre condi-
tionem, & filiam, quam, testatoris ex voluntate, vxo-
rem ducere debet, matrimonium recusare, ipsique
nubere nolle: tum sane non est dubium, heredem
nihilominus totam statim consequi debere hereditatem;
cum in genere conditio pro impleta habeatur, quo-

C

ties



ties per eum, in cuius persona implenda est, stat,
quo minus impleatur (a).

(a) L. 3. L. 23. ff. de condition. instit.

§. VIII.

CASVS TERTIVS.

Heres sub conditione affirmatiua potestatiua institutus, quam tamen statim implere non potest v. c. Caiam heredem instituo, si, postquam ad nubilem perueniret aetatem, Titio nupserit, iure ciuili, quippe quod ante conditionis exsistentiam heredem ab adeunda hereditate generaliter arcebatur, ad hereditatem peruenire non potest. Interim Praetor & huic suo auxilio praefato est, ipsisque, pendente quoque conditione, B. P. f. t. concedit, praefita tamen prius cautione solita de hereditate, ubi defecerit conditio, iis restituenda, ad quos eadem vel ex testamento, vel, si heredis institutio plane facta non fuisset, ab intestato, fuisset peruentura. Eo igitur in casu, quem exempli tantum gratia allegauimus, Caia, tamquam heres instituta, statim post mortem testatoris B. P. f. t. petere poterit; postquam vero ad eam prouecta erit aetatem, qua viro nubere poterit, cum Titio matrimonium inire tenetur, alias deficeret conditio, & hereditas cum omni caussa coheredibus, substitutis, heredibus ab intestato, aliisque personis foret restituenda.

§. IX.


CASVS QVARTVS.

Vltimus, qui restat, casus, a nobis proprius con-
fi-

❖ ❖ ❖

siderandus, hic est: si heres quidam sub conditione potestatiua negatiua erit institutus, v. c. Maeuius mihi heres esto, si Titium non amplius conuenerit. Qui ubi obuenerit; heres dicta sub conditione institutus praetorio opus non habet auxilio, sed ipsae leges ciuiles (a) eidem permittunt, vt hereditatem statim adeat, praefita tamen prius cautione, quae a Q. MVTIO SCAEVOLA, primo ipsius inuentore (b), MVTIANA vocatur. Praestatur haecce cautio iis, quibus deficiente conditione hereditas erit restituenda (c) veluti coheredibus, substitutis, heredibus ab intestato (d) prouti casus variant. Fieri vero potest, vt testator hoc, quidquid est, cautionis personae instituta remittat (e); quo facto haec statim defuncti post mortem integrum adire hereditatem poterit. Interim heres, cui hoc modo cautio remittitur, deficiente conditione, s. quod h. l. tantundem valet, si contra ipsam egerit, nihilominus hereditatem restituere obligabitur.

Quodsi autem *legatum* quoddam sub conditione potestatiua negatiua fuerit relictum, res quodammodo sese aliter habebit. Duo nimirum tum sese offerunt casus, a se inuicem, vt ego quidem puto, probe discernendi. Condicio enim potestatiua negatiua, sub qua *legatum* est relictum, vel ita comparata est, vt ante mortem *legatarii* certum fieri nequeat, nihil contra conditionem adiectam factum iri, vel ea est eiusdem indoles, vt de hoc, *legatario* adhuc viuо, constare possit. Priori in casu v. c. si testator ita dispo-



fuerit: *Caio si Romam non iuerit lego centum florenos,*
legatarii demum post mortem, nihil contra conditio-
nem adiectam factum iri, certum fieri potest; quamob-
rem tum demum eiusdem heredes legatum quoque
de regula capere possent. Ne tamen persona, cui le-
gatum relictum est, defuncti contra voluntatem, emo-
lumento illo plane carere cogatur, huic quoque con-
ceditur, vt legatum statim exigat, praesita tamen ante
heredi cautione *Mutiana*. Quid vero de casu poste-
riore statuendum erit, si nimirum conditio negatiua
ita comparata est, vt, viuente adhuc legatario, certo
constare possit, nihil contra conditionem factum iri
v. c. *Caiae lego mille florenos si Maeuio non nupererit?*
Maeuius hic rebus mortalibus eximi, atque hac ratio-
ne certum fieri potest, *Caiam ipsi non esse nupturam,*
nihilque contra conditionem suscepsum iri. Quo pa-
cto legatarius ad cautionem *Mutianam* non admitti-
tur f), sed exspectare debet donec conditionem ad-
impleri certo constet; vbi tum heres legatum ipsi sta-
tim soluere obligabitur. Loquuntur quidem paullo
ante not. a. allegatae L. 7. pr. & L. 18. de condit. &
demonstr. generaliter de conditionibus negatiuis s. quae
in non faciendo consistunt, atque in iis indistincte
cautionis *Mutianae* usum iniungunt, bonitatem com-
mendant. Verum propter L. 73. D. eod. nihilominus
mihi necessarium esse videtur, vt, *ratione legata-*
riorum diuersa hacten conditionum indeles dicta a no-
bis ratione respiciatur; hac enim lege disertis verbis
prae-


praecipitur: *in omnibus conditionibus, quae morte legatariorum finiuntur* (h. e. quae ita sunt comparatae; ut legatarii ante mortem certo constare nequeat, nihil contra easdem suscepsum iri) *receptum est, vt Mutiana cautio interponatur.* De iis igitur conditionibus, de quarum existentia, vel non existentia legatarii ante discessum ex hac vita constare potest, nihil a legislatore dispositum inuenimus, cuius causa & in his Mutianae cautionis beneficium alicui esse salutare posse (g). Sed hanc distinctionem in casu, quo heres sub conditione negativa est *institutus*, ideo haud admittendam esse censeo, quia hic existens conditio in utraque specie (sive, nihil contra illam factum iri, viuo herede instituto, constare posit, sive minus) semper ad tempus mortis testatoris retrotrahitur, atque *institutio pura fuisse fingitur*; cum nec paganus ex parte testatus & ex parte intestatus decedere, nec ex certo tempore heres quis *institui queat* (h).

(a) L. 7. pr. L. 18. de condit. & demonstrat.

(b) Nou. 22. cap. 44.

(c) L. 18. de condit. & dem. L. 65. §. 1. ad Sct. Trebell.

(d) Sunt quidem, qui heredibus ab intestato cautionem *Mutianam praestandam esse*, negent. Contrariam tamen sententiam longe veriorem esse, mihi persuadeo, primo, quia in L. 18. de condit. & demonstrat. generaliter fancitur: „illam, cui sub conditione non faciendi aliquid relatum effet, debere cauere ei, ad quem, iure ciuili, deficiente conditione, hereditas pertinere possit. Deinde quia disertis in Nou. 22. cap. 44. in fin. verbis dicitur: *Ei iis, qui*



ab intestato ad hereditatem vocantur, cautionem esse praestandam. Nec obstat, quemadmodum dissentientes contendunt, quod secundum L. 7. §. 1. D. de condit. & demonstrat, maritus ab vxore hac sub conditione: *si dotem, quam ipsa ei promiserat, non exegerit, heres ex asse institutus, nemini caueat, sed hereditatem statim absque vla- la. adire cautione possit.* Hoc enim in casu ratio, cur lex ita disposuerit, in promptu est, simulque ita comparata, ut dissentientium causae fauere minime possit. Maritus enim ab vxore ex asse heres institutus, postquam hereditatem adiit, solus heres est, nemoque praeter ipsum adest, quem de dote conuenire queat; ideoque conditio, vt ipsis legis verbis vtar, *ipso iure videtur impleta*, nec est, quod maritus caueat, de dote non amplius exigenda. Eandem nobiscum defendant sententiam VOETIVS ad tit. D. de condit. inst. pag. 331. LAVTERBACH. in Coll. theor. pract. Lib. XXXV. tit. I. §. V. aliquie.

(e) arg. L. 2. & 7. C. vt in poss. legat.

(f) L. 106. de condit. & demonstr.

(g) LAVTERBACH. I. c. §. IV. seqq.

(h) §. 5. & 9. I. de her. inst.

§. X.

QVID IURIS CIRCA ADEVNDAM HEREDITATEM, SI HEREDITAS PARTIM PVRE PARTIM SVB CONDITIONE ERIT DELATA?

In omnibus, quos hactenus recensuimus, casibus eiusmodi ponebatur heres, cui hereditas omni ex parte sub conditione erat delata; vbi simul demonstrauimus, quando eadem, pendente adhuc conditione, praefixa tamen cautione, adiri queat, & quando contra ea

❖ ❖ ❖

ea conditionis exspectari euentus debeat. Sed heri quoque potest, vt alicui hereditas partim pure partim sub conditione deferatur; & tunc quaesito motuetur, quomodo & quando talis adiri hereditas queat? ad quam §. praesente paucis sumus responsuri. Duo hic denuo a se inuicem distinguendos esse casus censeo. Primo heredi, partim pure, partim sub conditione instituto, quoad eam partem, in qua sub conditione tantum est institutus, heres alius esse substitutus potest e. g. *Caius in vna bonorum meorum parte dimidia heres esto, in altera vero parte eundem heredem instituo, si frater meus ex America non est rediturus, & in hac parte Maeuium ipsi substituo.* Quod si hoc contigerit, Caius eam, in qua pure heres est institutus, partem statim post testatoris obitum adire poterit; ast ratione alterius partis dimidiae tamdiu exspectare obligabitur, dum conditio existat, vel deficiat. Deficiente enim conditione haecce bonorum pars ad substitutum pertinet (a). Poterit tamen etiam ratione partis *conditionalis*, pendente conditione, *ceteris paribus* B. P. s. t. peti, praesita nimirum cautione, dimidiad hereditatis partem, conditione deficiente, substituto restitutum iri. Deinde heredis institutio ea quoque concipi ratione potest, vt alicui hereditas quidem partim pure, partim sub conditione deferatur, ast in parte conditionali nullus eidem heres substitutatur. Quando institutio ita comparata animaduertitur; minime dubium est, quin, qui heres institutus est, eam



eam partem, qua pure est institutus, adire statim pos-
sit. Ast partem quoque conditionalē; ideoque totam
statim adire hereditatem poterit. Quomodo cuncte
enim sors tulerit, conditio siue deficiat, siue existat,
semper ex esse heres erit. Conditione existente pro-
pter hunc ipsum euentum pars hereditatis conditiona-
lis ad ipsum pertinebit. Deficiente vero conditione
eandem partem ex iure accrescendi sibi vindicabit (b).
Peculiarem etiamnum casum L. 59. §. 6. de heredib.
instit. continet. Nempe si quis heredes ita nomina-
uerit: *Titius ex parte tertia; Maeuius ex parte tertia*
heredes funto. Titius, si nauis mea ex Asia venerit, ex
reliqua parte heres esto. Hic Titius semissim 1. di-
midiam hereditatis partem statim adire potest; verum
sextans in pendentī manebit. Semis hereditatis sem-
per ad Titium perueniet, vel quia conditio existens
fiet, vel deficiente conditione ob ius accrescendi. Sex-
tantis vero acquisitio pendet a conditionis euentu.
Haec si existit; Titius sextantem quoque accipit: si
vero deficiat; ad Maeuium vi iuris accrescendi perti-
nebit. Quodsi Titius ante deceperit, quam conditio
existat, atque haec eius demum post mortem exstite-
rit: tum sextans ille, cuius acquisitio haec tenus in sus-
penso fuit, non Titii heredibus conceditur, sed Mae-
uius accrescit; quia semper requiritur, ut conditio,
viuente adhuc instituto, existat, huius si heredes non
temere utilitatē inde exspectare velint, scilicet ut legis
ipsius verbis vtar: *quia Titius deceperit, cum adhuc du-*
bium

bium esset, Titio, an Maeuio is sextans datus esset, nec potest intelligi datus ei, qui tempore dandi in rerum natura non fuit (c) i.e. qui eo tempore, quo sextantis acquisitionis decisa fuit, iam diem supremum obierat.

(a) L. 27. de hered. inst.

(b) L. 33. eod.

(c) L. 59. §. 6. eod.

§. XI.

SECUNDA QVAESTIO IN VTRAMQUE DISPVATATVR PARTEM.

Absolutis iis, quae de priore quaestione supra §. IV. memorata dicenda fuere, ad alteram, quae circa hereditatis aditionem conditionatam moueri potest, quaestione, ibidem itidem indicatam progredimur. Quaeritur scilicet: *vtrum is, qui hereditatem sibi delatam adire velit, aditioni suae conditionem v. c. si hereditas lucrosa sit, adiicere possit.* Ante omnia, vt, quid in controversiam veniat, videatur, necessarium esse videtur, vt, de quali conditione hic proprie sermo sit, distincte exponamus. Potest enim contingere, vt is, cui hereditas delata sit, eandem non statim adeat, verum in quemuis euentum, se hereditatem hac vel illa lege, s. conditione v. c. si decimae quaedam ad eandem pertinerent, aditum esse, declareret. Quod ubi fecerit: conditio quasi in antecessum memorata instar conditionis *suspensiuae* quidem haberi posset; veram tamen aditionem non inuolueret. Neque conditione postea forsitan existente, hereditas pro adita haberi potest,

D

potest,



potest, quia actus plane fuit inutilis. De tali igitur conditione hic proprie nobis fermo non est; sed quaeritur: an quis sub resolutiva conditione adire reapse hereditatem possit; ita, ut hereditatem ab initio quasi pure adeat, ait deficiente conditione, v. c. si hereditas soluendo non inueniatur, heres esse plane desinat? Qua de quaestione restat, ut in sequentibus breuiter & dilucide, quae necessaria visa fuerint, dicamus.

Secundum ius antiquum, cuius ex praescripto hereditatis aditio ad actus referebatur legitimos, nulla prorsus conditionis adiectione tolerabatur; cum ea actuum legitimorum fuerit natura, ut quavis diei, vel conditionis adiectione omni ex parte vitiarentur (a). Ex quo vero actuum legitimorum usus omnis apud nos exspiravit, quaestio modo proposita intuitu iuris noui agitari inter D. D. coepit, fauentibus aliis conditioni hereditatis aditioni adiectae, aliis eandem strenue impugnantibus. Affirmantium omnino antesignanus est AVGUST. LEYSERVS, Vir eruditionis fama ceteroquin insignis, qui in Meditat. ad Pand. spec. CCCLXXX. medit. IX. ita de re differit: postquam, inquit, vetera illa cretionum sollemnia per L. 17. C. de I. D. sublata sunt, hereditatis aditio actus legitimus esse desit, atque temporis & conditionis adiectionem admittere cepit. Admisit eam iam Iustinianus in L. vlt. C. de iur. deliber. Nihil enim aliud est aditio hereditatis cum beneficio inuentarii, quam aditio sub condicione: si hereditas soluendo sit. Ex LEYSERI ergo sententia

◆◆◆◆◆

tentia iure novo citra ultum dubium hereditatis aditioni adisci conditio potest; cum quia non amplius sit actus legitimus, tum quia Iustinianus *conditionatam* hereditatis aditionem eo ipso permiserit, quod heredibus in L. vlt. C. de I. D. beneficium inuentarii concescerit; quippe cui hereditatis aditioni cum beneficio inuentarii aditio hereditatis sub conditione, *si soluendo effet hereditas*, satis clare insit. LEYSERI sententiam praeter DAN. TERSZTYENSKY (b) & IOH. AVG. HELLFELD (c) amplexus est IOH. CASP. GOETHE (d), qui, vt LEYSERI placitis maiorem veritatis speciem conciliaret, etiamnum L. 23. ff. quae in fraud. cred. l. c. allegare e re sua fore, ratus est. Verba legis haec sunt: *Primo gradu scripti heredes cum animaduerterent, bona defuncti vix ad quartam partem aeris alieni sufficere, famae defuncti conseruandae gratia, & consensu creditorum, auctoritate Praesidis provinciae, secundum constitutionem ea conditione adierunt hereditatem, ut creditoribus dumtaxat partem praestarent.* Qua ex lege GOETHE l. c. satis manifesto patere oportet, quod *conditionata* hereditatis aditio omnino locum habere possit; modo eorum eadem consensu fiat, quorum interfit, &, cautionis, vel securitatis causa, judicialis intercesserit auctoritas. Verum enim vero plures haud obscuri nominis ICti, quorumque praeterea in praxi insignis est auctoritas, in *negatiuam* nihilominus abire sententiam haud veriti sunt. Higitur hereditatis aditioni *conditionem resolutiuam* adi-



ci posse non ideo simpliciter negant, quia hereditatis aditio actus sit legitimus; hoc enim sublati antiquis creationum sollemnibus, omnino cessat: verum sententiae suae firmamentum a L. 51. §. fin. D. de A. v. O. H. repetunt, cuius verba haec sunt: *sed & si quis ita dixerit: si soluendo hereditas est, adeo hereditatem; nulla est aditio.*

Cuius sententiae inter fautores, omissis aliis, hoc quidem loco praecipue nomine IOH. VOETIVM (e) IOH. BRVNNEMANVM (f) & JOSEPH. AVERANIVM (g).

- (a) L. 77. de R. I.
- (b) in supra cit. dissertatione §. XXII.
- (c) in Iurisprud. forensi sec. ord. ff. §. 1491.
- (d) in dissert. supr. cit. §. XXIII.
- (e) in Comment. ad tit. D. de acquir. v. omitt. hered. pag. 367.
- (f) in Comment. ad L. 51. §. fin. de A. v. O. H.
- (g) in interpretat. iur. Lib. I. Cap. IX. n. 66,


§. XII.

AFFIRMATIVA SENTENTIA REFUTATVR.

LEYSERVM eosque, qui presso eundem pede sequuntur, sententiam suam propugnaturos, hoc praecipue caussae suae praesidium praetendere, quod hereditatis aditio cum beneficio inuentarii, aditionem hereditatis sub conditione: *si scilicet hereditas soluendo sit,*
in-

◆◆◆◆◆

includat, quodque Iustinianus eo ipso, quod beneficium inuentarii heredibus indulserit, conditionatam quoque hereditatis aditionem permiserit, iam §. integr. vidimus. Quantopere autem hi Interpretes Imperatoris a vero consilio aberrent, vel ex eo manifestum est, quod Imperator, si ea constitutionis ipsius, quam LEYSERVUS eiusque sectatores volunt, mens fuisse, hac ipsa constitutione sua ei, quem sibi potissimum proposuisse videtur, fini refragatus fuisset. Antiquis nimirum temporibus heres eam ob caussam, quod hereditatem adeundo in omnes defuncti obligationes succedebat, simul quodus aes alienum, a defuncto relictum, tum quoque, quando oneri huicce sustinendo vires hereditatis minime pares erant, solvare debebat. Quamobrem iusto frequentius continebat, ut heres, vel parum, vel prorsus nihil ex hereditate emolumenti capere se posse animaduertens, eandem repudiare, quam eius aditione magno iefe exponere periculo mallet. Testamenta hinc crebrius fieri destituta solebant; quo facto legatarii grauiter conquerebantur, creditores importune solutionem vregabant; racteo multa alia, quae ex eo consequebantur, incommoda. Quibus hoc etiamnum accedebat, quod ius testamenta condendi ob L L. XII. Tabb. vbi sanctum fuerat: „Paterfamilias uti legasset super familia, pecunia, tutelaue suae rei, ita ius esto,“ in posterioribus, iisque satis honorificis ciuis Romani priuilegiis habebatur, nihilque huic contumeliosius conting-



re poterat, quam, si ultima ab ipso condita voluntas ab herede destituta omni, quam iure exspectarat, effec-
tu carebat. Quas rationes rei parum conuenientes cum taedio intelligens Iustinianus, medelam malis ad-
ferte studuit; dum L. vlt. C. de iur. deliber. heredi-
bus concessit, vt hereditatem inuentarii cum beneficio
adirent, adiecta legislatoris promissione, quod, vbi
aes testatoris alienum hereditatis mensuram superae-
rit, iidem ultra massae hereditariae vires soluere, mi-
nime obligati esse deberent. Fac igitur Imperatorem
hac ipsa legis dispositione *conditionatam* introducere
voluisse hereditatis aditionem: nonne tum futurum
fuisset, vt fine sibi proposito prorsus excideret? Non-
ne tum heres hereditatem sub conditione v. c. *si sol-
uendo est adiisset, &, simulac tempore postero condi-
tio haec defecisset, h. e. si hereditas soluendo vel lu-
crofa inuenta non fuisset, heres statim esse desisset?*
In quam exiguo autem tum testamentum habitum ho-
nore fuisset, ab herede nihilominus destitutum! De-
nique nec hoc mihi praetereundum contra LEYSE-
RVM & adseclas esse videtur, quod Iustinianus, si in
L. vlt. excit. *conditionatam* hereditatis aditionem legum
tutelae commendasset, disertis verbis contra L. 51. §.
fin. D. de A. v. O. H. disposuisset, nulla legis anti-
quioris eo ipso tum abrogatae mentione iniecta; id
quod tamen Imperator tam parum in more habuit,
vt potius leges, quas abrogarat, aut quibus deroga-
rat, expresse plerunque allegauerit, nouamque deinde
sanctio-



sancionem commendauerit. Cuius rei plura, si necesse esset, proferre exempla possem. Quae cum ita sint; ad veritatem multo proprius accedemus, si, quae cum beneficio inuentarii sit hereditatis aditio, *puram* esse censuerimus, heredemque, qui hoc beneficio vius fuerit, semper statuerimus heredem manere (*a*) licet eam imperatoria ex constitutione utilitatem capiat, vt ultra vires hereditatis haud obligatus sit. Quocirca id, quod hereditatis aditioni sub beneficio inuentarii ineft, reuera *conditio* haud est, sed *temperamentum* potius *rigoris*, qui alias iure Romano locum habet.

Neque LEYSERIANAM sententiam supra memoratam adiuuat L. 23. D. quae in fraud. cred. Quod vt clarius intelligi queat, age casum legis quam fieri potest breuissime delineemus. Defunctus quidam tantam aeris alieni molem reliquerat, vt scripti heredes probe perspicerent, vix quartae aeris alieni parti soluenda bona relitta paria esse. De regula igitur formalis, quem vocant, super defuncti bonis morundus erat creditorum concursus. Quod vt euitaretur, & bona defuncti fama, quoad eius fieri posset, conseruaretur, scripti heredes cum creditoribus eo quasi transegerunt, vt ipsis, accidente simul iudiciale auctoritate, hereditatem adire liceret; ea tamen *sub conditione* i. e. hoc quidem loco *ea lege*, s. *eo pacto*, vt creditoribus pars hereditatis conuenta praestaretur (*b*). Hic igitur de conditione quidem, verum



verum minime ea sermo est, quam heres hereditatem aditurus aditioni adiecerit, & quam nos quidem in argumento praesenti intelligendam volumus. Lex tantummodo loquitur de ea conditione, sub qua creditores heredibus scriptis permiserint, ut hi hereditatem, bonae defuncti famae consulturi, adirent; cum alias formalem super eiusdem patrimonio mouere ipsa potuissent concursum,

(a) I. H. BOEHMER in introd. in Ius Dig. Lib. XXVIII. tit. 8. §. 9. ibique MEVIVS I. D. 39. Nec heres, qui inuentarii cum beneficio hereditatem adiit, restituendo hereditatem ab omni feso libere, rare obligatione hereditaria potest, sed, quia semel hereditatem adiit, ea, quae defunctus reliquit, bona creditoribus ipse distribuere debet; neque creditores, si, bona debitibus soluendis sufficiere, offendere queunt, vt formalis super iis moueat concursum, concedere obligabuntur. Ludovici in Concurs. Procesi I. 16. BOEHMER I. c. MEVIVS I. c. D. 40. Accurate igitur & praeceps loquutus non est HELLPILD dum in iurispr. for. sec. ord. Pand. §. 1469. scribit. immo & restituendo, ceter.

(b) in eandem sententiam pronuntiat BRVNNEMANNVS ad L. 51. §. fin. de A. v. O. H. Nec insolens esse in iure Romano, conditionem aliquando passionum certam legem in se continentem significare, non solum e BRISONIO in tr. de V. S. pater; verum etiam ipse adeo CICERO conditiones passionesque passim coniungit.

§. XIII.

NEGATIVA SENTENTIA COMPROBATVR.

Quid ego quidem hac de quaestione sentiam, iam ex iis cognosci potest, quae §. XII. proxime antegressa expromta sunt. Ad eorum nimirum memet partes adiungo, qui hac de re negatiue pronuntiant. Eam enim, quae sub *conditione resolutiva* sit, hereditatis aditionem si in iure nostro tolerare vellemus: primo contra antiquum illud peccaremus iuris principium, quod, qui semel heres factus sit, heres esse desinere nequeat (a). Quam infirmis deinde argumentis LEYSERVVS rem suam

suam tuitus sit, & quantum a vero distet, Iustinianum Imperatorem in L. vlt. C. de I. D. conditionatam hereditatis aditio-
 nem introduxisse, §. iam memorata copiosius ostendere studui-
 mus. Ceterum L. 51. §. fin. D. de A. v. O. H. specialiter
 quidem eius tantummodo conditionis, si hereditas soluendo fit
 mentionem facit: ast legislator exempli tantum gratia hancce
 conditionem, vt pote maxime frequentem, allegauit, & legis san-
 ctio nihilominus generaliter erit accipienda; ita, vt, quae sub
 conditione fiat, hereditatis aditio, plane nulla tolerari debeat.
 Quam maxime quoque sententia haecce aequitati conuenit, quam
 tueri boni legislatoris est. Quantum enim, si conditionatam
 admittere vellemus hereditatis aditionem, inde in legatarios &
 fideicommissarios redundare incommodum posset, qui, si exsi-
 stentiam conditionis expectare sese coactos viderent, fortassis,
 quoad in viuis essent, ad boni, ab hereditate expectati, fruitio-
 nem non peruenirent! Nec erit, quod obiciatur, quod, cum
 cretionum sollemnia, actusque legitimi cuncti apud nos, plane
 sint abrogata, excitata L. 51. extra omnem vslum sit posita.
 Priusquam enim huic argumentandi rationi aliquid inesse robo-
 sis potest, probari ante debet, legem de qua loquimur, in
 solis iis, que circa actus fouebantur legitimos, principiis suis
 fundatam. Praeterea lex, cuius cum lege abrogata manifesta
 non est connexio, tantum abest, vt simul hac cum lege per in-
 directum abrogata censeri possit, vt potius legislatorem disertis
 verbis dicere oporteat, se legem illam simul abrogandam iube-
 re; id quod vero in L. 17. C de I. D. quae antiquis cretio-
 nis sollemnibus finem imposuit, factum non esse, tam manife-
 sum est, quam quod manifestissimum.

(4) Principiū huius vim atque potestatem magno quidem conatu, sed
 successu non aequa felici restringere studuit D. IOH. MELCH.
 GOTTL. BESEKE, qui in tract. de alienatione hereditatis Hal. 1774.
 §. 24. & 69. seqq. plane peruerse & minus apte regulam hancce
 hactenus suis traditam, contendit. Communis est D. D. senten-
 tia,



tia, quod regulae huius fundatum ex L. 88. de hered. inst. & L. 7. §. 10. de minorib. repeti debat; ast, huius auctoris ex opinione, in utraque lege plane singularis continetur casus, extra quem, quae in fine eiusdem regula proponitur, parum recte accommodatur. Sed fæc, hoc ita sepe habere; aliae tamen legis dispositiones praestō sunt, quae regula illa manifesto nituntur, atque hoc pro certo concessoque ponunt, quod is, qui ius suum hereditarium in alterum transtulit, propterea stricto iure heres esse non desinat. Ita enim hereditatis emotori vi L. 5. C. de hered. v. act. vend. actiones tantum viles competunt contra hereditatis possessorem & debitores hereditarios; id quod eodem modo sepe habebit, ubi hereditas per alium quamvis titulum habet ad alium fuerit translata. Simili modo porro vi L. 2. C. de hered. v. act. vend. & L. 2. C. de legat. etiam post factam in alterum iuris hereditarii per venditionem translationem, credidores hereditarii non minus, quam legatarii, vna cum fideicommissariis contra primum agunt heredem, qui quoque iisdem satisfacere tenebuntur, salvo contra eum regressu, in quem translatio iuris hereditarii facta est.

§. XIV.

CONCLUSIO.

Haec sunt, quae de *aditione hereditatis conditionata* pro virium mearum exiguitate expromere sustinui. In quibus, si quid animaduersum fuerit sive inconsulte ac temere prolatum, sive negligenter & incondite dictum, id L. B. pro sua humilitate excusatum habeat, haud ignorans, quae de frugibus praeterpantur, non semper adeo natura, adeo concocta esse omnia solere, vt, quod intermixtum habeant, crudi, aut immaturi, & incoeti prorsus nihil sit.

Pag. 6. lin. vlt. pro *objectione I. subiectione*, pag. 14. lin. 9. pro *ineris I. inerit.* Haec, &c., si quae alia occurrant, sphalmata L. B. excusat.



Zießen, Diss., 1781-92



V
D
18



B.I.G.



22
1784, 1
17
DISSE^RTAT^O IN AVG^RALIS IVRIDICA

DE
HEREDITATIS ADITI^ON^E
CONDITIONATA

P. 299

QVAM
ANNVENTE
ACADEMIAE PATRIAE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS

D. SEPTEMBR. A. R. S. CIOCCCLXXXIV.

P VBLICO ERVDITORVM EXAMINI

MODESTE SVBIECTVRVS EST

GEORGIVS GVLIELMVS LVDOVICVS
BECHTOLD

G I S S A E

apud IOH. IACOB. BRAVN, Acad. Typogr.

